

III.

NEOVIDENSIS

Nro 19. (*Neovidensis* Nro 42.)

---

Tres Fratres, tres inferorum Judices tulere  
sententiam

*Pro hac Politica Dissertatione,*

DE PRAESTANTIA PULCHRITUDINIS,

*Cum Europaeis communicanda.*

---

Elysium -- Meum. -- Die Veneris 5. Junii 1804. (Neov. 22 Maji.)

---

Non omne, quod pulchrum est, semper pro tali  
habetur; sed, quod placet.

*Proverbium Italicum.*

**P**ulchritudo, & bonitas mundi pari passu  
ambulant. Pulchritudo est relativa; si omnes  
illas descriptiones pulchri, quas nostri eru-  
diti antecessores memoriæ prodiderunt, ho-  
die narrare vellem, conscribenda mihi forent  
ingentia volumina. Quod illi pulchrum ap-  
paret, huic displicet, & quod huic placet,  
illi turpe videtur. Non omne, quod pulchrum  
est, semper pro tali habetur, sed, quod  
placet.

Omnes hujus jam boni, jam mali mundi  
viri ob pulchritudinem defigunt suam atten-  
tionem in foeminas. Hæ dicuntur pulcher

sexus, forte propterea, quod quælibet, sit illa pulchra, vel turpis, suum habeat amatorem. Res singularis est pulchritudo, quisque eam alio sibi effingit modo, & constat ex historiis, sæpissime potentiores viros, qui inter pulchritudines delectum facere potuissent, nec pulcherrimam, nec maxime juvenem, neque optimam amavisse. Ludovicus XIV, ille ad omnem elegantiam compositus Monarcha, illuminatissimo sæculo, post multam rerum experientiam senem accepit uxorem. Recte æsserit Italus: Non omne, quod pulchrum est, semper pro tali habetur, sed, quod placet.

Fæminæ Japonenses inaurant sibi dentes, quos Indicæ rubro colore tingunt; Gussaratenses autem, & nonnullarum Americæ partium nigros præcipuum putant ornamentum. In Grönlandia mulieres vultum pingunt colore cæruleo, & flavo, Russicæ vero more nostratium albo fuce inducunt rubicundum. Fæminæ Chinenses miserandum in modum comprimunt ligneis involucris suos pedes, ut venustatem pedis caprini assequantur. In antiqua Persia illius caput coronam dignum judicabatur, cui majestatem nasus aquilinus conciliavisset. Apud Turcas rufi capilli, & Omari doctrina in summo sunt pretio, quorum utrumque detestantur Persæ. In Canada barbara mulieres unguunt corpus pinguedine ursi, apud Hottentotas præcintant se, & brachia sanguinolentis intestinis tanquam coronis floreis.

In regno Sinensi placent tantum parvi oculi, & adolescentes virgines evellunt sibi supercilia. In Turcia fœminæ induunt oculis nigrum, unguibus autem rubrum colorem. In Regno Peruano perforant sibi nasum suspensuræ inde annulum, cujus gravitas mariti dignitatem æquet, alibi vero ornant eundem unionibus, pretiosis lapidibus, atque auro, nec unquam egent Strophio, quod singularem illis parit gratiam. In Europa viri gestant in naso annulos, in quibus a suis uxoribus circumducuntur, tantumque appendunt, quantum valet conditio viri.

Magistri boni gustus propugnant, omni pulchritudini inesse oportere varietatem, unitatemque. Si itaque secundum commentarios Æstheticæ licet ex ruderibus prolicere pulchritudinem, quid vetat, quin eadem etiam ex beneolente sapone, ex olido unguento capillari, ex parisino oleo, ex rubro, & albo pigmento producat. Eapropter, inquit, quidam præclarus scriptor, ex novo quoque pulchritudinis Catechismo Joannis Antonii Melo possumus cunctas muliebres venustates condiscere, eas enim valde accurate, & minutatim designat. Quamvis autem tales descriptiones existant etiam penes formulas pro conficiendo unguento, sapone, oleo, & pigmento &c. præscriptas, non tamen semper in omni squallore, & sordibus invenitur pulchritudo.

Decor corporis situs est in ordine, consensioneque membrorum, quæ minime carent

nativo colore, debita magnitudine, atque proportione.

Quod magnitudinem corporis sexus fœminei attinet, nimia longitudo non quadrat, mediocritas ornamento est; ideo formosas mulieres assimilant Poëtæ proceris, gracilibus alnis. Præstantis formæ personâ sit etiam juste corpulenta, habeat satis de carne cum iutermixta pinguedine, quæ omnia in corpore, & cute vacua loca replent, & membra emolliat.

Pulchritudo præcipuam sedem collocat in cute humana, si nimirum pulchre colorata sit, absque maculis, & tenera, ut quasi resplendeat.

Sunt nonnulli, qui cum Gallis ad ornatum corporis referunt pallidum vultus colorem, quem ut obtineant, conserventque, comedunt cretam, oculos cancerorum, amyllum, camphoram &c. Majores nostri, descripturi pulchritudinem laudabant: Caput Pragense, pedes Rhenanos, pectus more Austriaco constrictum, Gallice convexum ventrem &c.

In efformanda facie natura maximum artis specimen dedit; Huc enim in compendio totum conguessit, quod cumulate per corpus diffusum est; Ex ejus lineamentis facilis est conclusio ad hilarem, & tristem animi statum, ad malam, & bonam corporis constitutionem.

Frons tunc dicitur habere venustatem, si aliquantum promineat, sed nec nimis lata sit, nec ultra modum angusta, careat autem

rugis, & candore, ac mollitudine fulgeat. Puellis optatissima est alta frons, ideo solite evellunt increscentes in eam crines.

Oculi plerumque sunt indices animi, apud multos cupido ex illis prospicit. Nigri tamen, & cærulei reliquis præferuntur. Oculos etiam multum ornant supercilia, seu rotundi ex nigris pilis concamerati arcus.

De Naso notandum, illum non esse duntaxat instrumentum odoratus, sed etiam ornamentum vultus, si recte mediam occupet faciem, habeatque convenientes nares.

Insignis formæ fœminæ accedit gratia, si in ejus mento scorbiculus observetur.

Decor labiorum in hoc consistit, ne sint aut multum crassa, aut tenuia; purpureum ostentent colorem, inter se congruant, ut neutrum altero sit majus.

Liberalis formæ fæmina parvum os habeat, oportet, quod non nisi illa loquente pateat; Gingiva autem albis & æquabilibus plena sit dentibus, ut quasi lineam margaritarum exhibeat.

Mentum nec abeat in latum, nec surgat in acutum. Genæ nativo, videlicet albo, & rubro tingantur colore.

Inter aures, & nasum æqua intercedat proportio, non distent multum a capite, sintque molles.

Pulchri capilli tribuunt homini dignitatem. Collum sit aliquanto longius, atque candidissimum.

Depressi sint humeri, quos apud viros, ut venustatem mereantur, latos esse & robustos oportet.

Pectus in fœminis arctum esse debet, ubera vero pumo similia, nivea, ejusque magnitudinis, ut quælibet ea manu contingere possit.

Ex anatomia constat lumbos, & coxendices fortiores esse apud fœminas, quam viros.

Quæ fœminarum pulchritudinis laudem aucupatur, brachia habeat carnosa, rotunda, mollia, & ut alabastrum alba. Tales quoque sint manus, neque nimium longæ, neque macilentæ; Digitos mediocriter longos, interne undosos, subtiles, albi & pellucidi tegant ungues.

Fœmora alba, & carnea inferius in cuspidem desinant. Genua sint mollia, & rotunda, eorum tamen patella non promineat.

Suras commendat rotunditas cum mollitie. Pedes parvi sint, & tenues, atque digiti careant nodis.

In muliere miræ speciei sequentia desiderantur: Ut 1) sit juvenis, 2) nec magna, nec parva, 3) neque obesa, neque macra, 4) omnia membra ratione magnitudinis peræqua proportione inter se consentiant, 5) habeat pulchros, molles, & cincinnatos capillos, 6) teneram cutem, 7) rubro album colorem per totum corpus, 8) planam, & exporrectam frontem, 9) tenuia supercilia, 10) cæruleos, aut nigros oculos, 11) pulchre

conf  
gena  
sum  
resp  
voco  
subr  
capi  
olor  
les,  
dini  
pell  
cess

mur  
tigi  
tiæ  
min  
tunc  
moh  
mar  
rent  
grac  
hæc

cipi  
Mu  
max  
&ar  
omn  
cup  
ri,

Mu

conformatum nasum, 12) plenas rubicundas genas, 13) rubra labia, 14) parvum, & clausum os, 15) parvos albos dentes, 16) lene respirium absque omni odore, 17) amœnam vocem, 18) rotundum mentum, 19) parvas subrubras aures, quæ non multum distent a capite, 20) collum, quod candore anteeat olores, 21) pectus alabastro simile, 22) molles, & albas manus, 23) mediocris longitudinis digitos, 24) candidos, vitro similes, & pellucidos ungues, denique 25) modestum incessum.

Verum, si tali simulacro tandem potiamur, si in ejus possessione summam nos attingisse felicitatem existimemus, si dies lætitiæ elabantur, & demum res familiaris, administratio patrimonii veniat in mentem, quæ tunc se objicit rerum facies? hæc statua immobilis est, asvevit se comere; teneræ ejus manus refugiunt negotia domestica, abhorrent a culina, mundities domus videtur ejus gracilitati inconueniens. Cui ergo incumbet hæc omnia procurare?

Et qualis est animus, quæ moralia principia in tam pulchro corpore? In omnibus Museis picturarum pulcherrimæ effigies quam maxime observantur, quam diutissime spectantur, quam plurimos inveniunt amatores, omnium oculi in eas convertuntur; quisque cupit talem imaginem habere, eam admirari, illa frui.

Idem evenit etiam in magno hujus vitæ Museo: venustum corpus observatur, spe-

datur, & rapit in admirationem. Quam multiplicia hic desideria excitantur! Qualibus certaminibus talis persona exponitur! Omni momento sustinenda illi est a diversis adversariis imminens oppugnatio, ut adeo semper parata esse debeat ad retundendam obsidionem. Quamvis autem sexcentis cuniculis, tentationibus, & blanditiis impetatur, lorica tamen modestiæ, forte etiam clypeo virtutis se strenue tutatur; donec tandem potentior quidam adveniat hostis, cui connivendum esse variæ svadent rationes, vel qui similibus etiam armis instructus est; — Aliquamdiu affectus supprimuntur; pugnatur, certatur; fit defensio, sed ad extremum, siquidem ab alterutra parte palmam reportare necesse est, — sequitur victoria, & certa clades! Jam quæso, quæ potest esse sors possessoris idmodi pulchritudinis? Supersedebo ejus descriptione; docet eam quotidiana experientia.

Sed quæ hinc doctrina? — Ut nos improbo labore non conficiamus in quærenda tali numeris omnibus absoluta pulchritudine. Tolerabilis pulchritudo, majorem pacem, unionem, & felicitatem infert in domum; quam Aspasix, Laidis, vel Glyceria Græcorum.